



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Bulla Lucij II. Papæ confirmantis superiorem transactionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

proprietate ad eos venirent, necnon etiam mulieres
Deo devotas post promissionem castitatis & obe-
dientiae relicta proprietate, simili modo sepultura
traderent. Alios autem universos in cimiterio ejus-
dem beati Amantij sepeliendos esse non dubitatur.
Præterea sciendum est quod his quæ per Massilienses
sive per Canonicos Ruthenenses ab apostolica sede
imperata fuerant, quibus huic instrumento deroga-
ri posset, favore hujus transactionis ab utraque par-
te penitus renuntiatum est.

Ego Bernardus hoc instrumentum scripsi xv. Kal.
Madij, incarnationis dominicæ anno millesimo cen-
tesimo quadragesimo.

S. Domini Ademarij Episcopi. Ego Petrus Abbas
Massiliensis subscripti. S. Guillelmi Prioris de cano-
nica. Ego Guillelmus Prior sancti Leontij. Ego Guil-
lelmus Archidiaconus. Ego Hugo Archidiaconus
subscripti. Ego Deusdedit Prior sancti Amantij. Ego
Vvillelmus Præpositus subscripti. Ego Guillelmus
Prior Amiliavensis subscripti. Ego Petrus de Mon-
toliu subscripti. Ego B. de Belcastel subscripti.

*Bulla Lucy II. Papæ confirmantis superiorem
transactionem.*

Anno 1144.

LVcius Episcopus servus servorum Dei dilecto
filio Petro Massiliensi Abbatii ejusque successo-
ribus regulariter promovendis in perpetuum.
Æquum & rationabile esse dinoscitur ut qui ad Ec-
clesiarum regimen assumpti sumus, eas & à prave-
rum hominum nequitia tueamur & ipsarum quieti
atque utilitati auxiliante Domino salubriter provi-
dere curemus. Quamobrem, dilecte in Domino fili
Patre Abbas, tuis justis postulationibus clementer
annuimus, & Ecclesiæ quas canonice possidetis, vi-
delicet Ecclesiæ sancti Amantij, quæ in Ruthe-

nensi suburbio sita esse dinoscitur , & Ecclesiam sancti Austremonij de Sales , cum Capellis & omnibus ad ipsas Ecclesias pertinentibus , sub apostolicæ sedis protectione suscipimus , atque tibi tuisque successoribus & per te Massiliensi monasterio præsentis privilegij pagina confirmamus . Præterea conventionem quæ inter te & venerabilem fratrem nostrum bonæ memorie Ademarum ejusdem urbis Episcopum & Canonicos utriusque partis voluntate atque convenientia rationabiliter facta est & scripto firmata , auctoritate apostolica roboramus & futuris temporibus ratam & inconvulsam perpetuò manere decernimus . Sed nec alicui liceat in præfata Ecclesiæ sancti Amantij interdicti sententiam promulgare quandiu tu vel successores tui aut fratres tui à fide apostolica evocati de objectis sibi querelis justitiam facere ac recipere coram Romano Pontifice fuerint parati . Statuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat te vel successores tuos super iisinfestare aut vobis exinde aliquam contrarietatem vel molestiam inferre . Si qua verò ecclesiastica secularisve persona , hanc nostræ constitutionis paginam sciens , contra eam venire tentaverit , secundo tertiove commonita si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit , potestatis honorisque sui periculum patiatur , & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat , atque in extremo examine districtæ subjaceat ultiōni . Conservantes autem hæc omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & nostram gratiam consequantur . Amen . Amen . Datum Laterani per manum Baronis Capellani & scriptoris 1111 . Kal . April . Indictione VII . incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo quarto , pontificatus verò Domini Lucij secundi Papæ primo .